

802

Est exponunt alii per significat: Alii vocabulum corpus explicant metonymicè pro signo sive sacramento, vel figura, vel etiam pro virtute & efficacia corporis. Vnde deformato syllogismum. Quicquid in verbis substantiam cœnæ exprimentibus non continetur, illud non est pars substantialis sacræ cœnæ. At qui corpus & sanguis Christi est ejusmodi, ut in verbis substantiam sacræ cœnæ exprimentibus non continetur, in schola Calviniana. Quanquam enim corpus & sanguis disertè nominatur, tamen non rata ḥen̄t̄ ipsum corpus & sanguis Christi, sed per metonymiam Calvinianam, intelligitur figura sive signum illius, nempe panis & vinum. Quare corpus & sanguis Christi non est pars substantialis sacræ cœnæ, in schola Calviniana.

8. 4. Ex collatione sacramentorum V. & N. Testamenti Calviniana. Eodem modo, inquiunt, in S. cœna præsens est Christus, quo fuit præsens fidelibus patribus V. Testamenti. Quò nonnulli trahunt sententiam D. Pauli I. Cor. 10. v. 1. & seqq. miserè depravatam. At qui caro & sanguis Christi non fuit pars substantialis circumcisionis aut Paschatis (non enim est vel præputium, vel agnus anniculus, qualem divina institutio requirit) neg. actu & substantialiter præsens fuit Christi humanitas Patriarchis, quia tunc nondum erat filius Dei factus homo. Quare corpus & sanguis Christi non est pars substantialis sacræ cœnæ, neg. actu & substantialiter in cœna præsens est secundum Calvinianos.

9. 5. Ex collatione, præsentiae Christi in verbo Evangelii, & in S. cœna, Calviniana. Non, inquiunt, alia præsentia Christi est in cœna, quam ea que in Evangelio promissa est. Hæc autem est solius fidei, nempe Spiritualis. Vnde inferunt, soli fides præsens esse corpus & sanguinem Domini, & à solis fidelibus percipi.

10. 6. Ex descriptione Calviniana manducatio-nis Spiritualis: quam dicunt fieri in cœlo, quo jubent elevare fidem animam, & ibi apprehendere carnem & sanguinem Domini. Quò torquent illud pie vetustatis dictum: Sursum corda.

11. 7. Ex Calvino dogmate de indignè māducanti-